



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum  
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt  
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

**Agostini, Giuseppe**

**Coloniae Agripp., 1644**

Magna habenda promouendorum ad sacros Ordines ratio

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41767**



ERDINANDVS

Dei & Apostolicæ Se-  
dis gratiâ Electus & cõ-  
firmatus Sanctæ Colo-  
niensis Ecclesiæ Archi-  
episcopus, S. Romani

Imperij Princeps Elector, & per Italianam  
Archicancellarius, eiusdem Sedis Apo-  
stolicæ Legatus Natus : Episcopus ac  
Princeps Paderbornensis, Leodiensis, &  
Monasteriensis, Administrator Hildes-  
heimensis, Berchtesgadenensis, & Stabu-  
lensis : Comes Palatinus Rheni : vtrius-  
que Bauariæ, VVestphaliæ, Angariæ &  
Bullionis Dux : Marchio Franchimon-  
tensis, Comes Pirmontensis, Loffensis,  
Longiensis, Sternenbergensis : & Hor-  
nensis &c. Venerabili Clero & Vniuer-  
sitas ac singulis Christi fidelibus Ciuitatis  
& Archidiocesis Nostræ Coloniensis  
salutem in Domino sempiternam.

Pastoralis nostri officij cura præsen-  
tisque temporis calamitas exigit, vt ac-  
curatissimus eorum delectus habeatur,  
quotquot desiderant ordinibus Eccle-  
siasticis initiari, cum harum miseriarũ  
fons & scaturigo, quibus grauissimè to-  
tus ferè Christianus Orbis premitur, &

a 2

affli-

afflictatur, à ministrorum Ecclesiæ vitâ corruptiore & moribus alienis à nomine, statuque Clericali profluxerit, & emanarit, quorum permulti prorsus inhabiles sunt ad sacrorum Ordinum functiones. Unde mirificè nos angit & sollicitos habet, ut diligenter ob eruentur ea, quæ sacri Canones, Oecumenica Concilia, præcipuè Sacrosanctum Tridentinum pro Germaniæ reformatione potissimum institutum, nec non Provincialia & Synodalia Coloniensia de qualitatibus promouendorum ad Sacros Ordines, adiecto salubri metu censurarum & pœnarum Ecclesiasticarum, laudabiliter statuerunt. Sed cum multitudes, & eorum Canonum prorsus ignari reperiantur, ideo ne per ignorantiam tam scitu necessariorum statutorum peccarentur, hætenus initiandis paulò ante stata generalium ordinationum tempora, nostras præsentis literas ad Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ valvas affixas iterum, iterumque publicauimus, & ne exciderent, memoriam eorum refricauimus. Quò magis in culpâ sunt & acrius reprehendendi, qui toties  
publi.

publicatis statutis & decretis non obtemperant, sibi illud Christi dictum scientes: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit voluntatem eius, vapulabit multis.* a Cuius vt rigorem & pœnas, aliasque Censuras Ecclesiasticas enadant, quæ sequuntur, diligenter deinceps observari, mandamus.

a Luc. 12. 47.

*Ordines à quo Episcopo accipiendi.*

I. Inprimis itaque sciant omnes tã ad primam tonsuram, quàm Ecclesiasticos Ordines aspirantes, vnumquemque à proprio Episcopo ordinari debere, & ab executione ordinis, quem ab alieno Episcopo sine proprij sui Antistitis consensu acceperit, esse suspensum; Vicario autem nostro in Pontificalibus generalitatem ex lege Diuinã, quàm ex Prouincialibus ac Synodalibus Prouinciæ ac Diœcesis nostræ Colonienfis statutis potissimum incumbere, vt manus citò nemini imponat, sed ascitis sibi Sacerdotibus & alijs prudentibus viris, diuinæ Legis ac Sacrorum Canonum peri-